



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Liber III. Constitetur se Carthagine in impuris amoribus volutatum; ibique ex Hortensio Ciceronis Sapientiæ amorem hausisse, anno XIX ætatis; postea in Manichæorum hæresin incidisse. Deniq; Matris de ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

LIBER III.

Confitetur se Carthagine in impuris amoribus volutatum; ibique ex Hortensio Ciceronis Sapientiae amorem hausisse, anno XIX ætatis; postea in Manichæorum hæresin incidisse. Denique Matris de sua conversione somnium, & Episcopi cujusdam responsum recenset.

CAP. I.

Carthagine se impuros amores sectatum, & amara libidinum voluptate potitum.

I. **V**eni Carthaginem, & circumstrepebat me undique a sartago flagitiosorum amorum. Nondum amabam, & amari amabam: & secretiore indigentia, oderam me minus indigentem. Querebam, quod amarem: amans amari, & oderam securitatem, & viam sine muscipulis. Quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo, te ipso Deus meus, & ea fame non esuriebam; sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium, non quia plenus eis eram, sed quo inanior, eo fastidiosior. Et ideo non bene valebat anima mea, & ulcerosa b projiciebat se

se foras miserabiliter, scalpi avida contactu sensibilem. Sed si non haberent animam, non utique amarentur. Amare & amari dulce mihi erat magis, si etiam amantis corpore fruerer.

2. Venam igitur amicitiae coinquinabam sordibus concupiscentiae, candoremque ejus obnubilabam tartarea libidine: & ramentum foedus atque inhonestus, elegans & urbanus esse gestiebam, abundantiam vanitate. Rui etiam in amorem, quo cupiebam capi. Deus meus, misericordia mea, quanto felle mihi suavitatem illam, & quam bonus adspersisti! Quia & amatus sum, & perveni occulte ad vinculum fruendi, & colligabar latus arumosis nexibus: ut caederer virgis ferreis ardentibus, zeli, & suspicionum, & timorum, & irarum, atque rixarum. Rapiebant me spectacula theatra, plena imaginibus miseriarum mearum, & fomitibus ignis mei.

N O T A E.

- a *Sartago flagitiosorum amorum*) ut in sartagine fervet ac stridet caro cum frigitur, ita in corde S. Aug. fervebat impurus amor.
- b *Projiciebat se foras*) q. d. anima gratia Dei & delectationibus internis destituta, in creaturas extra se positas inordinate irruebat: ut earum sensibili dulcedine, velut scabiosus ungue, scalperetur. Vbi adverte S. D. familiarem esse hanc phrasin: *foras ire, egredi, foras se projicere*, cum loquitur de inordinato creaturarum amore; illae enim foris sunt, *regnum vero Dei, est justitia, gaudium & pax in Spiritu sancto*, quae intus sunt in animo nostro.

Rom. 14.
vers. 17.

V S V S.

1. Docet S. Aug. suo exemplo juvenem vanitati, & sensibus obsequentem, divina vero fastidientem, non posse se continere à gravibus flagitiis. Quod illi itaque evenit, ut in libidines & scortationes rueret: hoc, pro dolor! quotidie aliis, eadem ob causas, fieri videmus.
2. Ut olim ita & nunc miseranda est vanitas: eos urbanos & elegantes haberi, qui feminis colludere & corridere norunt. Reperiuntur qui indignantur filiis, eosque degeneres putant, si talia avertentur, maluntque spectare proterve provocantes aut jocantes, quam virgineo rubore suffundi.
3. Agnosce divinam bonitatem, quæ felle aspergit fædas voluptates, ut ab iis abstrahat: & mirare lascivorum stultitiam, qui in suis libidinibus caduntur virgis ferreis, ut loquitur S. D. & multa plura patiuntur sub jugo mundi, quam paterentur sub jugo Christi.

CAP. II.

Se impuros amores spectaculis theatricis fovisse, & infaustis amantium eventibus condoluisse, non vera misericordia.

1. **Q**uid est, quod homo ibi vult dolere, cum spectat luctuosa atque tragica, quæ tamen pati ipse nollet? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator, & dolor ipse est voluptas ejus. Quid est, nisi miserabilis insania? Nam eo magis eis movetur quisque, quo minus à talibus affectibus sanus est, quanquam, cum ipse patitur, miseria; cum aliis compatitur, misericordia dici solet. Sed qualis tandem misericordia, in rebus fictis & scenicis? Non enim ad subveniendum provocatur auditor, sed tantum ad do-

dolendum invitatur: & actori earum imaginum amplius favet, cum amplius dolet. Et si calamitates illæ hominum vel antiquæ, vel falsæ, sic agantur, ut qui spectat non doleat, abscedit inde fastidiens & reprehendens. Si autem doleat, manet intentus, & gaudens lachrymatur.

2. Lachrymæ ergo amantur, & dolores? Certe omnis homo gaudere vult. An cum miserum neminem esse libeat, libet tamen esse misericordem? Quod quia non sine dolore est, hac una causa amantur dolores. Et hoc de illa vena amicitia est. Sed quò vadit? quò fluit? Vt quid decurrit in torrentem picis bullientis, æstus immanes tetrum libidinum: in quos ipsa mutatur & vertitur per nutum proprium, de cœlesti serenitate detorta atque dejecta? Repudietur ergo misericordia? Nequaquam. Ergo amantur dolores aliquando.

3. Sed cave immunditiam anima mea, sub tutore Deo meo, *Deo patrum nostrorum, & laudabili, & super exaltato in omnia secula*, cave immunditiam. Neq; enim nunc non misereor. Sed tunc in theatris congaudebam amantibus, cum sese fruebantur per flagitia, quamvis hæc imaginariè gererentur in ludo spectaculi. Cum autem sese amittebant, quasi misericors contristabar, & utrumque me delectabat tamen. Nunc vero magis misereor gaudentem in flagitio, quam velut dura perpeffum detrimento perniciosæ voluptatis, & amissione miseræ felicitatis. *a* Hæc certe verior misericordia, sed non in ea delectat dolor. Nam & si approbatur officio caritatis, qui dolet miserum: mallet tamen

uti-

utique non esse, quod doleret, qui germanus misericors est. Si enim est malevola benevolentia (quod fieri non potest) potest & ille, qui veraciter sinceriterque misereatur, cupere esse miseros, ut misereatur.

4. *b* Nonnullus itaque dolor approbandus, nullus amandus est. Hoc enim tu Domine Deus, qui animas amas, longe alteque purius quam nos, & incorruptibilius misereris: quod nullo dolore sauciaris. Et ad hæc quis idoneus? At ego tunc miser e dolere amabam: & quærebam, ut esset, quod dolerem: quando mihi in ærumna aliena, & falsa, & saltatoria, ea magis placebat actio histrionis, meque alliciebat vehementius, qua mihi lachrymæ excutiebantur. Quid autem mirum, cum infelix pecus aberrans à grege tuo, & impatiens custodiæ tuæ, turpi scabie fœdarer? & inde erant dolorum amores, non quibus altius penetrarer (non enim amabam talia perpeti, qualia spectare) sed quibus auditis & fictis, tanquam in superficie raderer; quos tamen, quasi ungues scalpentium, fervidus tumor, & tabes, & sanies horrida consequebatur. Talis vita mea nunquid vita erat, Deus meus?

NOTÆ.

a Hæc certe verior misericordia) misericordia vera est dolor sive displicentia de vero malo alterius, ut colligitur ex S. Th. quando nimirum ita præbetur misericordia, ut conservetur justitia: sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur pœnitenti, teste S. Aug. l. 9. de civ. Dei c. 5.
Hæc vero misericordia, qua adolescens condolebat in teatro, infaustis flagitiose amantium eventibus, non erat vera: improbis enim eripi facultatem peccandi bonum, non malum est. Unde male de ipsorum bono doluisse se agnoscit.

b Non

- b *Nonnullus itaque dolor approbandus, nullus amandus est*) Ostendit etiam vera misericordia, non amari dolorem, tum quia mallet non esse alienam miseriam, de qua dolet, tum quia Deus miseretur absque ullo dolore, sola simplici displicentia alieni mali. Cum autem S. D. negat esse amandum dolorem miserentis, etsi sit approbandus: solum significat dolorem, ut est malum nature dissentaneum, nihil habere intrinsece, unde ametur. Non vero negat eum, ut suscipitur intentione caritatis, posse amari. Si enim potest approbari, bonus est: si bonus, potest amari: ergo si approbandus, est etiam amandus, non propter se, sed proximum. Quo pacto SS. Martyres amant mortem, & tormenta propter Deum.
- c *Dolere amabam*) dolorem falsum, qui dum actorum peritia, nativæque repræsentatione augebatur, augebat impuros animi ardores. Non aliter itaque Aug. amabat & quærebat dolorem in fædis spectaculis, quam scabiosus ungues scalpentium: ut modico dolore dulciorem sentiat carnis prurimum.

V S V S.

Docet S. D. detestari turpia spectacula, quæ nihil aliud sunt, quam fomites libidinis, vel suscitandæ, vel alendæ.

C A P. III.

Se in templo quoque negotium libidinis procurasse, in schola autem Rhetoris superbiisse, calumnias tamen everforum odisse.

I. **E**T circumvolabat super me fidelis à longe misericordia tua. In quantas iniquitates distabui, & sacrilegam curiositatem secutus sum, ut deserente te, deduceret me ad ima infida, & circumventoria obsequia dæmoniorum; a quibus immobilabam

labam facta mea mala, & in omnibus flagellabas me. Ausus sum etiam in celebritate solennitatum tuarum, intra parietes ecclesie tue concupiscere: & agere negotium procurandi fructus mortis. Unde me verberasti gravibus poenis. Sed nihil ad culpam meam, o tu pregandis misericordia mea! Deus meus, refugium meum à terribilibus nocentibus: in quibus vagatus sum praesidenti collo, à longe recedendo à te, amans vias meas, & non tuas, amans fugitivam libertatem.

2. Habebant & illa studia, quae honesta vocabantur, ductum suum, intuentem fora litigiosa, ut excellerem in eis: eo laudabilior, quo fraudulentior. Tanta est caecitas hominum, de caecitate etiam gloriantium. Et major jam eram in schola rhetoris, & gaudebam superbe, & b tumebam typho, quamquam longe sedatior, Domine tu scis: & remotus omnino ab everfionibus, c quas faciebant everfores (hoc enim nomen saevum & diabolicum, velut insigne urbanitatis est) inter quos vivebam pudore impudenti, quia talis non eram. Et cum eis eram, & amicitiiis eorum delectabar aliquando, à quorum semper factis abhorrebam: hoc est, ab everfionibus, quibus proterve insectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbarent gratis illudendo, atque inde pascendo malevolas latitias suas. Nihil est illo actu similius actibus daemoniorum. Quid itaque verius, quam everfores vocarentur? Everfi plane prius ipsi atque perversi, deridentibus eos, & seducuntibus fallacibus ocul-

culite spiritibus, in eo ipso, quod alios irridere amant & fallere.

N O T Æ.

- a** *Quibus immolabam facta mea*) sæpius S.D. opera humana per modum sacrificii explicat, sive in obsequium Dei, sive Dæmonis fiant. Sic supra dicebat *non uno modo sacrificari transgressoribus Angelis*, sic S. David: *Sacrificium laudis honorificabit me.*
- b** *Tumebam typho*) familiaris vox hæc est S. D. qua tumorem & fastum superbientis animi denotat; græce enim τὸ φῶμα fumum, cui superbia simillima est, item tumorem significat, & τυφώου idem est, quod inaniter jacto, superbio, tumeo.
- c** *Quas faciebant eversores*) dubium est, quos S.D. eversores intelligat; Cajus Iuriconsultus eversores appellat prodigos & dissolutos, qui patrimonium profundunt, & toto vitæ tempore sub curatore sunt, non minus, quam insani. Mihi S. D. eversores disciplinæ scholasticæ, & sanniones passim quosvis calumniis incessentes, videtur intelligere: hoc enim verba satis insinuant, dum ait eos infectatos ignotorum verecundiam.

1.1.c.17.
Psal. 49.
23.

Instit. 1.

V S V S.

1. Adverte, quomodo adolescens refractis semel timoris divini, & castitatis repagulis, omnia in pestem vertat: adeo ut in templo quoque, ubi negotium salutis curare deberet, exitium lascivo aspectu ac nutu sibi procuret.
2. Juvenem libidini deditum, nihil cæleste & æternum, sed vana solum ac caduca meditari, ut Augustinus inanem gloriam.

C A P.

CAP. IV.

Ex Hortensio Ciceronis hausit amorem Sapientia, anno XIX aetatis, Christi vero nomen ibi non reperit.

1. **I**Nter hos ego, imbecilla tunc aetate, discebam libros eloquentiae, in qua eminere cupiebam sine damnabili, & ventoso per gaudia vanitatis humanae. Et usitato jam discendi ordine, perveneram in librum quendam cujusdam Ciceronis, cujus linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille, ipsius exhortationem continet ad philosophiam, & vocatur Hortensius. Ille vero liber mutavit affectum meum, & ad te ipsum Domine mutavit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, & immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili: & surgere jam coeperam, ut ad te redirem. Non enim ad acuendam linguam, quod videbar emere maternis mercedibus, cum agerem annum aetatis undevigesimum, jam defuncto patre ante biennium: non ergo ad acuendam linguam, referebam illum librum, neque mihi locutionem, sed quod loquebatur, persuaserat.

2. Quomodo ardebam Deus meus, quomodo ardebam evolare à terrenis ad te! & nesciebam, quid ageres mecum, apud te est enim sapientia. Amor autem Sapientiae, nomen graecum habet, φιλοσοφίαν, quo me accendebant illae literae. Sunt, qui seducant

D per

per philosophiam, magno, & blando, & honesto nomine colorantes & fucantes errores suos. Et prope omnes, qui ex illis & supra, temporibus tales erant, notantur in eo libro & demonstrantur; & manifestatur ibi salutifera illa admonitio spiritus tui, per servum tuum bonum & pium: *Videte, ne qui vos decipiat per philosophiam & inanem seductionem: secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, & non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

Col. 1. 8.
9.

3. Et ego illo tempore, scis tu lumen cordis mei, quoniam nondum mihi hæc Apostolica nota erant: hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam sectam, sed ipsam quæcunque esset, Sapientiam ut diligerem, & quærerem, & assequerem, & tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo. Et accendebam, & ardebam: & hoc solo in me tanta flagrantia refrigebat, quod nomen Christi non erat ibi. Quoniam hoc nomen, secundum misericordiam tuam Domine, hoc nomen salvatoris mei filii tui, in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum pie biberat & alte retinebat: & quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis literatum & expositum, & veridicum, non me totum rapiebat.

V S V S.

I. Multum prodest lectio librorum, qui de Sapientia & virtute differunt, etsi ab Ethnicis scripti sint, quia in his quoque apparet, quam longe non solum à Deo, sed à natura quoque humana discedant homines scelerati. Certe ex Hor-

ter

tenlio Ciceronis, qui liber non extat, Augusti- Lib. de vi-
 nus primum affectum Sapientiae, & nauseam ta beata.
 vanitatis concepit, in quo adhuc à longe circum-
 volabat super ipsum fidelis misericordia Dei, quia post
 multos demum annos fecit, quod tum facien-
 dum in ejus libri lectione, velut eminus vi-
 dit.

2. Etsi immerſus flagitiis Auguſtinus, preces ta-
 men ad Deum ardentè fundebat, argumento
 efficaci Orationem eſſe bonæ mentis, ſaltem fu- Pſal. 65.
 turæ indicium, juxta illud, *Benedictus Deus, qui 10.*
non amovit deprecationem ſuam, & miſericordiam ſuam
à me. Metuant illi amotam eſſe à ſe miſericor-
 diam Dei, qui ipſi à ſe amovent omne ſtudium V.S.D.ib.
 Orationis: & quibus ſupplicium eſt os ad pre-
 candum aperire. Tales aut impii ſunt, aut erunt.
3. Metuant parentes divinum judicium, qui fi-
 lios in vanitate & vanitati educant, illorumque
 innocentiam ſua indulgentia corrumpunt, ne ſpe
 excidant: & vel ſua, vel illorum morte præ-
 venti deliciis ſuis frui nequeant. Ecce pater Au-
 guſtini, qui domi ſuæ filium anno X V I æta-
 tis corrumpi permittit, de eloquentia ipſius non
 ſalute ſolicitus, vix eo anno elapſo, moritur:
 nam hoc capite patrem ante biennium defun-
 ctum memorat, cum ipſe ageret annum XIX.
4. Non rapiebant totum Auguſtinum libri gen-
 tilium, quamvis expoliti & veridici, quia no-
 men Chriſti non erat ibi, quod à matre cum la-
 ctè ſuxerat. Diſcant matres, quantum proſit fi-
 lios mature aſſuefacere ad uſum ſalutaris Nomi-
 nis; eſt talis inſtitutio ſubinde aut occaſio, aut
 adjumentum ſalutis.

C A P. V.

*Scriptura ſimplicitatem præ Tullianæ
 eloquentia ſprevit.*

1. **I**Taque inſtitui animum intendere in
 ſcripturas ſanctas, ut viderem quales
 eſſent. Et ecce, video rem non compertam

superbis, neque nudatam pueris; sed inces-
su humilem, successu excelsam, & velatam
mysteriis; & non eram ego talis, ut intrare
in eam possem, aut inclinare cervicem ad
ejus gressus. Non enim, sicut modo loquor,
ita sensi, cum attendi ad illam scripturam:
sed visa mihi est indigna, quam Tullianæ
dignitati compararem. Tumor enim meus,
refugiebat modum ejus: & acies mea, non
penetrabat interiora ejus. Veruntamen illa
erat, quæ cresceret cum parvulis. Sed ego
dedignabar esse parvulus: & turgidus fastu,
mihi grandis videbat.

V S V S.

Ostendit S. D. viam ad intelligentiam Scriptura-
rum esse humilitatem, sine qua spernitur nec in-
telligitur à superbis, & pervertitur ab hæreticis.
Sed vide, quomodo Scriptura creverit, cum
humili Augustino, quæ parva erat superbo: ita
ait jam humilis: *Quidquid homo extra Scripturam
didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si utile invenitur.
Et cum ibi quisque invenerit omnia, quæ alibi inveni-
nerit: multo abundantius ibi inveniet ea, quæ nus-
quam omnino alibi, sed in illa tantummodo Scriptura-
rum mirabili altitudinæ, & mirabili humilitate discun-
tur.*

L. 1. de d.
Christ. c.
42.

C A P. VI.

*Manicheorum fallaciis seductus, Deum esse
corpus quoddam splendidum & infinitum
credidit.*

I. **I**Taque incidi in homines a superbe
delirantes & carnales nimis, & loqua-
ces; in quorum ore laquei diaboli, & vi-
scum confectum commixtione syllabarum
nominis tui, sed & Domini Iesu Christi; &
pa-

paraleti consolatoris Spiritus sancti. Hæc enim nomina non recedebant de ore eorum, sed sono tenuis & strepitu linguæ; cæterum cor inane veri. Et dicebant: Veritas & veritas; & multi eam dicebant mihi, & nusquam erat in eis. Sed *b* falsa loquebantur, non de te tantum, qui veritas es, *c* sed etiam de istis elementis hujus mundi creaturis tuis: de quibus etiam vera dicentes philosophos, transgredi debui præ amore tuo, mi pater summe bone, pulchritudo pulchrorum omnium. O veritas, veritas, quam intime etiam tunc, medullæ animi mei suspirabant tibi! cum te illi sonarent mihi frequenter, & multipliciter voce sola; & libris multis & ingentibus. Et illa erant fercula, in quibus mihi esurienti te, inferebantur pro te Sol & Luna, pulchra opera tua: sed tamen opera tua, non tu, nec ipsa prima. Priora enim spiritualia opera tua, quam ista corporea, quamvis lucida & cœlestia. At ego nec priora illa, sed te ipsam, te veritas, in qua *non est commutatio, nec momenti obumbratio*, esuriebam & sitiebam. Et apponebantur adhuc mihi in illis ferculis phantasmata splendida: quibus jam melius erat amare istum Solem, saltem istis oculis; verum, quam illa falsa animo decepto per oculos. Et tamen, quia te putabam, manducabam; non avide quidem, quia nec sapiebas in ore meo, sicuti es: neque enim tu eras illa figmenta inania; nec nutriebar ex eis, sed exhauriebar magis. Cibus in somnis, simillimus est cibus vigilantium, quo tamen dormientes non aluntur, dormiunt enim. At illa nec similia erant ullo

Iac. i. 17.

modo tibi, sicut nunc mihi locuta es; quia illa erant corporalia phantasmata, falsa corpora, quibus certiora sunt vera corpora ista, quæ videmus visu carneo, sive cælestia, sive terrestria. Cum pecudibus & volatilibus videmus hæc: & d certiora sunt, quam cum imaginamur ea. Et rursus certius imaginamur ea, quam ex eis suspicamur alia grandiora & infinita, quæ omnino nulla sunt: qualibus ego tunc pascebar.

3. At tu amor meus, in quem deficio, ut fortis sim, nec ista corpora es, quæ videmus, quamquam de cælo; nec ea es, quæ non videmus ibi: quia tu ista condidisti, nec in summis tuis conditionibus habes. Quanto ergo longe es à phantasmatibus illis meis, phantasmatibus corporum, quæ omnino non sunt! quibus certiores sunt phantasiæ corporum eorum, quæ sunt, & eis certiora corpora, quæ tamen non es. Sed nec anima es, quæ vita est corporum: ideo melior vita corporum certiorq;, quam corpora. Sed tu vita es animarum, vita vitarum, vivens teipsa, & non mutaris vita animæ meæ. Vbi ergo mihi tunc eras, & quam longe? Et longe peregrinabar abs te, exclusus & à *siliquis porcorum*, quos de siliquis pascebam. Quanto enim meliores grammaticorum & poëtarum fabellæ, quam illa decipula! Nam versus, & carmen, & Medea volans, utiliores sunt certe, quam quinque elementa varie fucata, propter quinq; antra tenebrarum, quæ omnino nulla sunt, & occidunt credentem. Nam versum & carmen, etiam ad vera elementa transfero. Volantem autem Medeam, etsi cantabam, non affe-

Luc. 15.
16.

afferebam : & si cantari audiebam , non credebam , illa autem credidi.

4. Væ væ, quibus gradibus deductus sum in profunda inferni ! quippe laborans & æstuanans inopia veri , cum te Deus meus (tibi enim confiteor , qui me miseratus es , & nondum confitentem) cum te non secundum intellectum mentis , quo me præstare voluisti belluis , sed secundum sensum carnis quærerem (tu autem eras interior intimo meo , & superior summo meo) offendi in illam mulierem audacem , inopem prudentiæ , ænigma Salomonis , sedentem super sellam in foribus , & dicentem : *Panes occultos libenter edite , & aquam dulcem furtivam bibite.* Quæ me seduxit , quia invenit foris , habitantem in oculo carnis meæ : & talia ruminantem apud me , qualia per illum vorassem.

NOTÆ.

a *Homines superbè delirantes*) Manichæos intelligit, quorum autor Persa quispiam fuit Urbicus nomine , postea Manes dictus , ut ipsum nomen ejus insaniam proderet (*μάνης* enim Græcè , est furiosus) ejus tamen discipuli *in littera geminata Mannicheum , quasi manna fundentem* , appellaverunt teste S. August. hæc. 46. ad Quodvult Deum. Ejus vero doctrina non solum fuit impia , verum & stulta , ut mirum sit Augustinum potuisse ei fidem habere. Afferemus hic & alibi , cum opus erit , quosdam errores ex ipso S. D. qui nefariam hæresin elisit , multis nobilissimisque Tom. 6. ope. libris.

b *Falsa loquebantur, non de te tantum*) primus ac principalis Manichæi error fuit circa Deum. I. Posuit duo principia sibi contraria & coæterna : sive duas substantias , unam boni , alteram mali. II. Quando utraque natura inter se pugnavit , factam esse commixtionem boni & mali. III. De hac

commixtione à natura boni, hoc est à natura Dei, mundum esse conditum. IV. Lucem istam corpoream in infinitum extensam, & omnibus rebus lucidis, inter quas animas quoque humanas numerant, permixtam, esse Dei naturam. Vnde sequitur tum animas bonas, tum alias res lucidas esse frustra divinæ substantiæ.

c *Sed etiam de istis elementis*) fabulabantur enim. I. Elementa esse duplicia, quinque bona, & mala totidem. II. Priora à natura boni, posteriora à natura mali progenita. III. Ex bonis genitas virtutes sanctas: ex malis principes tenebrarum, IV. Mala hæc esse: *Fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum*, his bona totidem opponi: *Fumo aërem, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aqua mala, aquam bonam, vento malo, ventum bonum*. V. Elementis malis debellandis missa esse elementa bona, de regno, & substantia Dei: & in illa pugna fuisse permixta. V I. In fumo nata animalia bipedia, ipsosque homines, in tenebris serpentia, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. Quod intelligebant de substantiâ mali, quæ in singulis his reperitur, substantiam enim boni elementis bonis, ipsique Deo assignabant.

d *Certiora sunt, quam cum imaginamur ea*) quia nempe cognitio corporum præsentium, quæ habetur per oculos, est intuitiva: adeoque ex suo genere certior quam abstractiva, quæ objecto absente habetur & magis falsitati est obnoxia. Cum vero subjungit *vitam corporum esse certiores, quam corpora*, significat effectus vitæ, sive animæ esse tam manifestos, ut minus fallamur iudicando aliquid esse vivens, quam corpus.

V S V S.

I. Eadem est Hæreticorum nunc & olim indoles, omnia apud ipsos perstrepunt nomine *Iesu Christi Salvatoris, & Spiritus sancti consolatoris, & illustratoris*, identidem crepant *puram Evangelii veritatem*. Sed cum omnibus hoc Hæreticis sit commune, monendi sunt simplices & incauti, nullum hinc veræ religionis argumentum sumi posse: sicut enim *non omnis, qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum*, vel ipso Christo teste, sic non

Mat. 7. 21.

non omnis qui usurpat nomen Domini, ostendit
viam ad regnum cælorum.

2. Causa cur S. D. fuerit in hæresin lapsus, ex
parte quidem intellectus fuit error, quo puta-
bat quidquid est, adeoque & Deum ipsum esse
corporeum: ex parte vero voluntatis perversus
affectus, quo nihil nisi carnale & corporeum
amabat, expertus illud, quod supra dixit: *Deum* Lib. 1. c.
infatigabili lege spargere panales cecitates, super illicitas cupiditates. 18.
Ut vero libido præcipitavit Augu-
stinum in hæresin, ita alios quoque Veneris fi-
lios, in idem barathrum præcipitare solet ac po-
test: præsertim cum inter hæreticos peregrinan-
tur, à quibus si non hæresin, certe Atheismum
& Machiavellismum, in patriam non raro refe-
runt.

CAP. VII.

*In errores Manichæorum se incidisse, quia
nesciebat, unde malum, & Deum esse
incorporeum, & justis in veteri testa-
mento aliqua licuisse, quæ jam non li-
cent.*

I. **N**esciebam enim aliud vere quod
est; & quasi acutule movebar, ut
suffragarer stultis deceptoribus. a cum à me
quærerent: unde malum? & utrum forma
corporea Deus finiretur: & haberet capillos
& ungues? & utrum justis existimandi essent,
qui haberent multas uxores simul; & occi-
derent homines, & sacrificarent de anima-
libus? Quibus rebus ignarus perturbabar:
& recedens à veritate, ire in eam mihi vi-
debar; quia non noveram malum non esse
nisi privationem boni, usque ad quod om-
nino non est. Quod unde viderem, cujus
videre usque ad corpus erat oculis, & ani-

Ioan. 4.
24.

mo usque ad phantasma? Et non noveram
Deum esse spiritum, non cui membra essent
 per longum & latum, nec cui moles
 esset: quia moles in parte minor est, quam
 in toto suo; & si infinita sit, minor est
 in aliqua parte certo spacio definita, quam
 per infinitum: & non est tota ubique sicut
 spiritus, sicut Deus. Et quid in nobis esset,
 secundum quod essemus similes Deo: & si

Genes. 1.
17.

recte in scripturis diceremur, *ad imaginem
 Dei*, prorsus ignorabam.

2. Et non noveram iustitiam veram inte-
 riorē, non ex consuetudine iudicantem,
 sed ex lege rectissima Dei omnipotentis:
 qua formarentur mores regionum & die-
 rum pro regionibus & diebus, cum ipsa
 ubique ac semper esset, non alibi alia, nec
 alias aliter. Secundum quam iusti essent
 Abraham, & Isaac, & Iacob, & Moyfes, &
 David, & illi omnes laudati ore Dei: sed
 eos ab imperitis iudicari iniquos, *b iudicanti-
 bus ex humano die* & universos mores humani
 generis, ex parte moris sui metientibus.
 Tanquā si quis nescius in armamentis, quid
 cuique membro accommodatum sit, ocrea
 velit caput contegi, & galea calceari, & mur-
 muret, quod non apte conveniat: aut in uno
 die indicto à pomeridianis horis iustitio,
 quisquam stomachetur non sibi concedi,
 quid venale proponere, quia mane concess-
 sum est: aut in una domo videat aliquid
 tractari manibus à quoquam servo, quod
 facere non sinatur, qui pocula ministrat:
 aut aliquid post præsepia fieri, quod ante
 mensam prohibeatur: & indignetur, cum
 sit unum habitaculum & una familia, non
 ubi-

1. Cor. 4.
3.

1. Cor. 4.
3.

ubique atque omnibus idem tribui. Sic sunt isti, qui indignantur, cum audierint illo seculo licuisse justis aliquid, quod isto non licet justis: & quia illis aliud præcepit Deus, istis aliud pro temporalibus causis, cum eidem justitiæ utrique servierint: cum in uno homine, & in uno die, & in unis ædibus videant aliud alii membro congruere, & aliud jamdudum licuisse, & post horam non licere, quiddam in illo angulo permitti aut juberi, quod in isto juste vetetur & vindicetur.

3. Nunquid justitia varia est & mutabilis? Sed tempora, quibus præsidet, non pariter eunt, tempora enim sunt. Homines autem, quorum vita super terram brevis est, quia sensu non valent causas contexere seculorum priorum, aliarumq; gentium, quas experti non sunt, cum his quas experti sunt: in uno autem corpore, vel die, vel domo, facile possunt videre, quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus personisve congruat, in illis offenduntur, his serviunt. Hæc ego tunc nesciebam, & non advertēbā, & feriebant undique ista oculos meos, & non videbam. Et cantabam carmina, & non mihi licebat ponere pedem quemlibet ubilibet: sed in alio atque alio metro, aliter atque aliter, & in uno aliquo versu, non omnibus locis eundem pedem: & ars ipsa, qua canebam, non habebat aliud alibi, sed omnia simul. Et non intuebar justitiam, cui servirent boni & sancti homines, longe excellentius atque sublimius habere simul omnia, quæ præcepit Deus, & nulla ex parte variari; & tamen variis temporibus non

omnia simul, sed propria distribuentem ac præcipientem. Et reprehendebam cæcos pios patres, non solum sicut Deus juberet atque inspiraret utentes præsentibus, verum quoque sicut Deus revelaret, futura prænunciantes.

N O T Æ.

a *Cum à me quærent &c.*) in triplicem Manichæorum errorem impulsus est Augustinus, triplici illorum fallacia. I. Quærebant ab illo, unde malum esset? cujus causam cum bono Deo assignare non posset, substantiam malam admisit, nesciens malum esse privationem boni. II. Cavillabantur Catholicos Deo humani corporis figuram tribuere, quod dicerent hominem factum ad imaginem Dei. Nesciens vero Augustinus, quia in re Deo similes sumus: Deum esse corpus lucidum infinitum persuasus est. III. Dicebant justos esse non posse, qui haberent multas uxores, & occiderent homines, & sacrificarent de animalibus, quæ cum de patribus veteris testamenti tradantur, Deum non esse illius autorem inferebant.

Huic triplici veneno triplex opponit antidotum. I. Afferit malum esse privationem boni, quod infra pluribus ostendet. II. Deum esse spiritum, nec mole magnum, quia moles minor est in parte, quam in toto, Deus autem ubique totus est. III. Possè alio tempore quadam esse licita, alio illicita, quod variis exemplis aperte demonstrat. I. Ex ipsa justitia, quæ variis temporibus & locis eadē jam permittit, jam interdicit. II. Diversis membris non eadem conveniunt. III. In domo non possunt omnia fieri quovis loco. IV. Eodem die non permittuntur eadem, quavis hora. V. In eodem carmine non est ubivis locus cuilibet pedi, ergo potuerunt Patribus quoque veteris Testamenti quædam esse licita, quæ nunc sunt illicita, & merito interdicta.

V. ep. 5. ad
Marcell.

b *Ex humano die*) id est secundum iudicium humanum, ita Paulus l. c. ait: *mibi pro minimo est, ut à vobis iudicor, aut ab humano die;* sic etiam latini Scriptores diem pro iudicio sumunt, apud quos diem dicere idem est, quod in jus, sive iudicium vocare.

V S V S.

V S V S.

Hinc apparet, quam plerumque Hæreticorum argumenta sint frivola, utpote quæ quotidianis exemplis possunt refelli: & cum his pugnant, quæ ipsimet faciunt & credunt.

CAP. VIII.

Quæ sunt contra naturam, semper ac ubique illicita esse: quæ vero contra mores & pacta hominum, fieri licita jubente Deo.

I. **S**ed nunquid aliquando, aut alicubi, injustum est diligere Deum, ex toto corde, Deut. 6. 5. ex tota anima, ex tota mente, & diligere proximum Matt. 22. 37. tanquam seipsum? Itaque flagitia, quæ sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda atq; punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Gen. 19. 24. Quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur: quæ non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis pervertitate polluitur.

a Quæ autem contra mores hominum Dist. 8. c. Quæ contra. sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis, consuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum, quorumlibet jubet: & si nunquam ibi factum est, faciendum est, & si omissum, instaurandum, & si institutum non 57. 107 erat

erat, instituendum est. Si enim regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse unquam jufferat: & non contra societatem civitatis ejus obtemperatur, imo contra societatem non obtemperatur (generale quippe pactum est societatis humanæ, obedire regibus suis) quanto magis Deo regnatori universæ creaturæ suæ, ad ea quæ jufferit, sine dubitatione serviendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

2. *b* Item in facinoribus, ubi libido est nocendi, sive per contumeliam, sive per injuriam, & utrumque vel ulciscendi causa, sicut inimico inimicus: vel adipiscendi alicujus extra commodi, sicut latro viatori: vel evitandi mali, sicut ei, qui timetur: vel invidendo, sicut feliciori miserior, aut in aliquo prosperatus ei, quem sibi æquari timet, aut æqualem dolet: vel sola voluptate alieni mali, sicut spectatores gladiatorum, aut irrisores, aut illusores quorumlibet. Hæc sunt capita iniquitatis, quæ pullulant principandi, & spectandi, & sentiendi libidine: aut una, aut duabus earum, aut simul omnibus. Et vivitur male *c* adversus

Psal. 32. 2. tria & septem, *psalterium decem chordarum, decalogum tuum, Deus altissime & dulcissime.*

3. Sed *d* quæ flagitia in te, qui non corrumpis? Aut quæ adversus te facinora, cui noceri non potest? Sed hoc vindicas, quod in se homines perpetrant; quia etiam, cum in te peccant, impie faciunt in animas suas, & *mentitur iniquitas sibi, sive corrumpendo aut perver-*

Psal. 26. 12.

pervertendo naturam suam, quam tu fecisti & ordinasti: vel immoderate utendo concessis rebus: vel in non concessa flagrando in eum usum, qui est *contra naturam*: aut rei tenentur, animo & verbis favientes adversus te, & adversus *stimulum calcitrantes*: aut cum disruptis limitibus humanæ societatis, lætantur audaces privatis conciliationibus aut direptionibus, prout quidque delectaverit, aut offenderit.

Rom. 2.

26.

Act. 5. 5.

4. Et ea fiunt, cum tu dereliqueris fons vitæ, qui es unus & verus creator, & rector universitatis: & privata superbia, diligitur in parte unum falsum. Itaque pietate humilireditur in te, & purgas nos à consuetudine mala, & propitius es peccatis confitentium, & exaudis gemitus compeditorum, & solvis à vinculis quæ nobis fecimus: si jam non erigamus adversus te cornua falsæ libertatis, avaritia plus habendi, & damno totum amittendi: amplius amando proprium nostrum, quam te omnium bonum.

NOTÆ.

- a *Qua autem contra*) totum hunc ¶. retulit Gratianus in decret. l. c. Probat autem S. D. exemplo potestatis humanæ, Deo in omnibus obtemperandum, etiam contra leges humanas.
- b *Item in facinoribus*) Addit exemplum aliud à vitiis, quorum quædam sunt præcipua, & velut capita iniquitatis: nempe libido dominandi, sive *superbia*, & spectandi, sive *contupiscentia oculorum*, & sentiendi, sive *concupiscentia carnis*. His enim tribus reliqua omnia vitia famulantur.
- c *Adversus tria & septem*) præcepta nempe Decalogi: tria primæ tabulæ, septem secundæ, quorum illa ad Deum, hæc ad proximum spectant. Frequenter vero decalogus dicitur psalterium decem

cem

In Psal.
21. vers. 2.

l. 3. de
doct.
Christ. c.
10.

l. 4. c. 15.

cem chordarum vel decachordum. Hinc psallere in psalterio decem chordarum, est praeceptorum diligentia observatione Deum laudare, ut notat Bellarm.

d Quae flagitia in te &c.) S. D. inter flagitia & facinora ita distinguit: Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum (per illicitas voluptates) Flagitium vocatur. Quod autem agit, ut alteri noceat, Facinus dicitur. Et haec sunt duo genera omnium peccatorum. Sed flagitia priora sunt. Quae cum exinaniverint animum, & ad quandam egestatem perduxerint, in facinora profilitur, quibus removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjuncta quarantur.

e Idem docet infra. Vel immoderate utendo) significat peccata omnia patrari, vel abusu licitorum, ut cibi & potus; vel usu illicitorum, ut Veneris contra naturam; vel odio adversus Deum & blasphemia, quod est contra stimulum calcitrare, instar bovis, qui dum stimulo aratoris recalcitrat, magis seipsum lædit; vel denique violatione caritatis & societatis humanæ, per odia, injurias, seditiones, bella.

V S V S.

1. Imprime animo saluberrimum principium: Turpis omnis pars est, suo universo non congruens, ac vel inde disce ejus communitatis, cujus membrum es, bonas leges sedulo observare.
2. Cum vel ipsius naturæ ductu subditi obediant potestati majori, ut S. D. ostendit, cur non obtemperamus mandatis divinis, & hoc velut primum principium statuimus: Deo obediendum est?
3. Etsi Deo peccata nostra non noceant, justissime tamen illa vindicat, tanquam autor & custos naturæ; ad quem pertinet ejus corruptionem & abusum non solum vetare, verum & ulcisci.
4. Insculpe animo & hoc alterum adversus peccata principium: Peccator erigit adversus Deum corrupta falsa libertatis, avaritiâ plus voluptatis, pecuniæ, honoris habendi, & damno totum bonum suum, id est Deum, ejus gratiam, & salutem æternam amittendi. Sic paulo ante dixit, privatâ superbiâ, quæ initium est omnis peccati, diligi in parte unum falsum, id est partem aliquam bonorum apparentium, & derelinqui fontem vitæ, in quo est omne bonum verum.

Eccl. 10.
15.

C A P.

CAP. IX.

Multa facta homines improbant, qua Deus probat, & vicissim multa damnat, qua homines laudant: etsi vero aliquid Deus inusitatum jubeat, faciendum est.

I. **S**ed inter flagitia & facinora & tam multas iniquitates, sunt *a* peccata proficientium: quæ à bene judicantibus & vituperantur ex regula perfectionis, & laudantur spe frugis, sicut herba segetis. Et sunt *b* quædam similia vel flagitio, vel facinori, & non sunt peccata: quia nec te offendunt Dominum Deum nostrum, nec sociale consortium; cum conciliantur aliqua in usum vitæ congrua temporibus: & incertum est, an libidine habendi; aut puniuntur corrigendi studio potestate ordinata, & incertum est, an libidine nocendi. Multa itaque facta, quæ hominibus improbanda viderentur, testimonio tuo approbata sunt: & multa laudata ab hominibus, te teste damnantur: cum sæpe se aliter habet species facti, & aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis.

2. Cum vero tu aliquid repente inusitatum & improvisum imperas, etiamsi hoc aliquando vetuisti (quamvis causam imperii tui, pro tempore occultes: & quamvis contra pactum sit aliquorum hominum societatis) quis dubitat esse faciendum, quando ea justa est societas hominum, quæ servit tibi? Sed beati, qui te imperasse sciunt. *c* Fiunt enim omnia à servientibus tibi, vel ad exhibendum quod ad præsens opus est, vel ad futura prænuncianda.

N O-

N O T Æ.

a *Peccata proficientium*) imperfectiones & negligentia, quæ inter ipsum virtutis conatum subrepunt, & sicut herba segetis etsi inutiliter luxurians, promittunt frugem ac messem. Errando enim discimus non solum artes, verum & virtutes: ideoque quotidie dicimus: *dimitte nobis debita nostra.*

Gen. 22, 2
Exod. 3,
22. & 11.
2. & 12.
35. Ose. 1.
2.

b *Quaedam scitalia vel flagitio, vel facinori*) ut occisio filii, quam Deus præcepit Abraham; spoliatio Ægyptiorum, facta ab Israëlitis, petentibus & auferentibus vasa argentea & aurea, vestemque plurimam; occupatio terræ Chanaan, quæ injuste videtur antiquis possessoribus erepta; adulterium Osee, cum accepit jubente Deo uxorem fornicariam; polygamia, sive plurium uxorum conjugium antiquis patribus usitatum. Hæc gentilium & Manichæorum, imo cujusvis hominis judicio improbanda viderentur: nisi Deus ea fieri jussisset, aut concessisset justissime & sapientissime. Ipse enim est, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus pro peccato primi parentis, &c. *cujus sententia si homo (verbi gratia Abraham) sit executor auctoritate divina, non erit homicida, sicut nec Deus. Similiter nec fuit contra justitiam, quod mandavit Judais, ut res Ægyptiorum acciperent, &c. quidquid enim accipit aliquis ex mandato Dei, qui est Dominus universorum, non accipit absq; voluntate Domini, quod est furari, ut ait S. Thom. Ipse Chanaanæos dupliciter invenit reos, pro eo quod & terras alienas invaserant (filii enim Cham invaserunt terram filiorum Sem, è quorum semine fuit Abraham) & postea scelera, & crimina inaudita commiserant, non ergo filii Israël terram alienam, quasi per injustitiam tollunt, sed suam propriam, quam per violentiam patres eorum perdiderant, receperunt, teste S. Augustino. Similiter etiam Osee accedens ad uxorem fornicariam, &c. non est machatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii, inquit S. Thomas l. c. Polygamia deniq; ob multiplicationem generis humani antiquis patribus fuit concessa, ut tradit S. Augustinus.*

Serm.
105. de
temp.
l. 16. de
civ. c. 38.
& l. 22,
contra
Fauft. c.
47. v.
Bel. r. 2.
l. 1. de
Matr.
c. 11.

c *Fiunt enim omnia à servientibus tibi*) fecerunt ista homines

homines justi, ut servirent & obedirent Deo, qui noverat ita expedire, aut voluit per figuras significare futura: ut per Sacrificium Isaac, passionem filii sui, per occupationem terræ Chanaan, patriam cælestem aliquando à nobis occupandam.

V S V S.

1. Salutare principium adversus temeraria judicia suggerit S. D. *sæpe se aliter habet species facti, aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis.* Sic Ribad. 1
S. Ignatius cum factum excusare non posset, in- vitæ c.
tentionem excusabat: & profecto temporis in re subita ad consultandum, aut cavendum inopia, culpam frequenter tollit aut minuit.
2. Nihil insolitum in rebus gravibus & communiter illicitis est agendum, nisi Deo peculiariter incitante. Hinc addit S. D. *Beati qui te imperasse sciunt; sicut sciebant Abraham, Moyses, Israëlitarum, Oseas, &c. ut dictum est.*

C A P. X.

Hæc nesciens, credebatur ficum decerptam plorare, & particulas Dei in illa ligatas solvi, si à Manichæis comederetur.

1. **H**Æc ego nesciens, irridebam illos sanctos servos & prophetas tuos. Et quid agebam, cum irridebam eos, nisi ut irriderer abs te: sensim atque paulatim perductus ad eas nugas, a ut crederem ficum plorare, cum decerpitur, & matrem ejus arborem lachrymis lacteis? Quam tamen ficum b si comedisset aliquis sanctus, alieno sane non suo scelere decerptam, misceret visceribus: & anhelaret de illa Angelos, imo vero particulas Dei gemendo in oratione atque ructando; quæ particula summi & veri Dei ligatæ fuissent in illo pomo, nisi electi

electi sancti dente ac ventre solverentur. Et credidi miser, magis esse misericordiam præstandam fructibus terræ quam hominibus, propter quos nascerentur. Si quis enim esuriens peteret, qui Manichæus non esset, quasi capitali supplicio damnanda buccella videretur, si ei daretur.

N O T Æ.

Hæresi
46. ad
Quod
vult
Deus.

- a *Vt crederem ficum plorare*) delirabant enim Manichæi herbas & arbores, non solum vegetari, verum etiam sentire ac dolere, cum laduntur, nec aliquid inde sine cruciatu eorum, quemquam posse vellere, aut carpere. Propter quod agrum etiam spinis purgare nefas habent. Vnde agriculturam, quæ artium omnium est innocentissima, tanquam plurimum homicidiorum ream dementes accusant, ait S. D.
- b *Si comedisset aliquis Sanctus*) adverte ex eodem S. D. Manichæos, in duas generatim classes fuisse distributos. Quidam dicebantur Electi sive Sancti, alii Auditores. Priores erant, qui tantum in insania profecerant, ut magistri esse possent, aut in errore constantes essent. Reliqui adhuc rudes, vel vacillantes Auditorum, velut discipulorum & Catechumenorum loco erant: in quo ordine mansit Augustinus, nunquam receptus inter Electos.
- I. *Misceret visceribus, & anhelaret de illa Angelos, imo vero particulas Dei, &c.*) Ex commixtione boni & mali, quæ facta est cum utraque Substantia inter se pugnaret, inferebant purgationem boni à malo, esse necessariam. Eam fieri comminabantur. I. Per virtutem divinam in toto mundo, & omnibus ejus elementis. II. Per Angelos lucis, purgari substantiam boni, permixtam & colligatam substantiæ mali in dæmonibus. III. Per electos suos manducando liberari partem bonæ divinæque substantiæ, quæ mixta & colligata in escis & potibus detinetur. Vnde ait S. D. *se credidisse electum devorata ficu, anhelare, sive expirare particulas divinæ substantiæ, quas partim Angelos, partim animas esse fingebant.* Hunc stultissimum errorem pluribus fabulis con-

lis condiebant. I. Hanc purgationem per escam & potum non fieri ab aliis, qui electi inter Manichæos non essent. II. Auditoribus suis ignosci cædes per agriculturam patratas, quod præberent alimenta electis, tamquam purgatoribus divinæ Substantiæ. Itaque electi nec in agris operantes, nec poma carpentes, expectabant donec necessaria ab Auditoribus ipsis afferrentur. III. Hanc purgationem non faciendam esu carniū, quod per mortem putarent fugere de illis divinam substantiam: aut id quod remanet non esse dignum, ut purgetur ventre electorum, qui à vino quoque abstinabant & musto, dicentes esse, *-fel principum tenebrarum.* IV. Quidquid vero uspiam divinæ substantiæ purgatur, imponi ab Angelis in duas naves, quas Solem & Lunam esse volebant, & in regnum Dei reportari. Hæc deliria ad intelligendam S. D. mentem recensenda fuerunt, qui ea & multa alia tum l. c. tum toto lib. de moribus Manichæorum, & alibi commemorat.

V S V S.

Impletum est in Augustino, quod S. Paulus de Philosophis magna cum exaggeratione dixit: *Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est inspiens cor eorum, dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt.* Quid stultius, quam talia credere? & tamen paulatim ad has nugas credendas, perductus est superbus & lascivus Augustinus. Ut vel hoc exemplo persuadear etiam viros doctos, quantumvis ingeniosos, posse dari in sensum reprobum, non solum ut faciant, verum etiam ut credant, quæ non conveniunt: & quia faciunt impia, credant stulta, fiantque serio hæretici, iudicio Dei iusto, sed tremendo.

Rom. 1. 21
& 22.

C A P.

C A P. XI.

*Recenset matris pro se preces ac lachrymas,
& somnium de sua conversione, in novem
fere annos dilata.*

I. **E**T misisti manum tuam ex alto, & de hac profunda caligine eruisti animam meam: cum pro me fleret ad te mater mea fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide & spiritu, quem ex te habebat, & exaudisti eam Domine. Exaudisti eam, nec despexisti lachrymas ejus: cum profluentes rigarent terram sub oculis ejus, in omni loco orationis ejus, & exaudisti eam. Nam unde illud somnium, quo eam consolatus es, ut vivere me secum crederet, & habere secum eandem mensam in domo, quod nolle cœperat, averfans & detestans blasphemias erroris mei. Vidit enim stantem se in a quadam regula lignea, & advenientem ad se juvenem splendidum, hilarem atque arridentem sibi, cum illa esset mœrens, & mœrore confecta. Qui cum causas quæsisset ab ea mœstitiæ suæ, quotidianarumque lachrymarum (docendi ut assollet, non discendi gratia) atque illa respondisset, perditionem meam se plangere: jussisse illum, quo secura esset, atque admonuisse, ut attenderet & videret: ubi esset illa, ibi esse & me. Quod illa ubi attendit, vidit me juxta se in eadem regula stantem. Unde hoc, nisi quia erant aures tuæ ad cor ejus?

2. O III

2. O tu bone omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures, & sic omnes, tanquam singulos! Unde illud etiam, quod cum mihi narrasset ipsum visum, & ego ad id trahere conarer, ut illa se potius non desperaret futuram esse, quod eram: continuo sine aliqua hæsi- ratione, *Non, inquit, non enim mihi dictum est: Vbi ille, ibi & tu: sed Vbi tu, ibi & ille.* Confiteor tibi Domine recordationem meam, quantum recolo (quod sæpe non tacui) amplius me isto per matrem vigilantem responso tuo, quod tam vicina interpretatio- nis falsitate turbata non est: & tam cito vi- dit, quod videndum fuit (quod ego certe an- tequam dixisset, non videram) etiam tum commotum fuisse, quam ipso somnio, quo foeminae piæ gaudium tanto post futurum, ad consolationem tunc præsentis solitudi- nis, tanto ante prædictum est.

3. Nam novem ferme anni secuti sunt, quibus ego in illo limo profundi ac tene- bris falsitatis, cum sæpe surgere conarer, & gravius alliderer, volutatus sum; cum illa vidua casta, pia & sobria, quales amas, jam quidem spe alacrior, sed fletu & gemitu non segnior, non desineret horis omnibus ora- tionum suarum, de me plangere ad te. Et intrabant in conspectum tuum preces ejus, & me tamen dimittebas adhuc volvi, & in- volvi caligine.

NOTÆ.

a *In quadam regula lignea*) Regula à Platone in Phi- lebo, numeratur inter instrumenta Architectu- ræ, adhibetur ad longitudinem parietum diri- gendam & æquandam, S. Isidorus *canonem ap-* pellat; dicitur Regula, *quod recta sit, quasi rectu-* l. 6. orig.
c. 16. &
l. 19. c. 18.
la, vel

la, vel quod regat, & distortum pravumque corrigat. Crediderim ergo S. Monicam vidiſſe, ſe una cum filio ejuſmodi instrumento inſiſtere, quo in Regula fidei cum illa, filium aliquando conſpiraturum Deus ſignificare voluerit.

V S V S.

Præclare divinam providentiam de noſtra ſalute commendat S. D. illo principio, *O tu bone omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrum, tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos!* Quantum ergo debemus tantæ bonitati, quæ miris occultique modis ſalutem noſtram operatur! Id expertus eſt S. Auguſtinus, cui non minus reſponſum matris, quam ſomnium ſalutare fuit: utrumque à Deo profeſtum, quæ inſatigabili miſericordia novem annorum ſpatio, peccata Auguſtini diſſimulavit propter pœnitentiam.

Sap. 11. 24

C A P. X I I.

Episcopum quendam à matre rogatum ſecum colloqui noluiſſe, & vehementius denique iſtanti reſpondiſſe: fieri non poteſt, ut filius iſtarum lachrymarum pereat.

I. **E**T dedisti alterum reſponſum interim, quod recolo, (nam & multa prætereo, propter quod propero ad ea, quæ me magis urgent conſiteri tibi, & multa non memini.) dedisti ergo alterum, per ſacerdotem tuum, a quendam episcopum nutritum in eccleſia, & exercitatum in libris tuis. Quem cum illa femina rogaffet, ut dignaretur mecum colloqui, & refellere errores meos, & dedocere me mala, ac docere bona (faciebat enim hoc, ſi quos forte idoneos inveniffet) noluit ille, prudenter ſane,

ter sane, quantum sensi postea. Respondit enim me adhuc esse indocilem, eo quod inflatus essem novitate hæresis illius: & nonnullis quæstiunculis jam multos imperitos exagitassem, sicut illa indicaverat ei. *Sed sine,* inquit, *illum ibi, & tantum roga pro eo Dominum: ipse legendo reperiet, quis ille sit error, & quanta impietas.*

2. Simul etiam narravit se quoque parvulum, à seducta matre sua, datum fuisse Manichæis, & omnes pene non legisse tantum, verum etiam scriptitasse libros eorum: fibique apparuisse, nullo contra disputante & convincente, quam esset illa secta fugienda: itaque fugisse. Quæ cum ille dixisset, atque illa nollet acquiescere, sed instaret magis deprecando, & ubertim flendo, ut me videret, & mecum differeret: ille jam subtomachans tædio, *Vade,* inquit, *à me, ita vivas: fieri enim non potest, ut filius istarum lachrymarum pereat.* Quod illa ita se accepisse, inter colloquia sua mecum sæpe recordabatur, ac si de cælo sonuisset.

N O T Æ.

a *Quendam episcopum*) quis ille fuerit, non liquet: vulgus subinde S. Ambrosium hujus oraculi autorem facit, sed imperite. S. Augustinus enim seipso teste, non nisi post novem demum annos, ætatis anno XXIIX Mediolani S. Ambrosium convenit, ut refert cap. 12. lib. 5. quo libro se annum undevicesimum ætatis prolocuturum cap. 3 præfatur.

U S V S.

Inter prædestinationis signa & salutis adjumenta non infimum est, habere apud Deum patronos, qui indefessis precibus ejus bonitatem sollicitent:

E

tent:

Matt. 7, 7,
& 8.

rent: & vel nolentem salvum esse velint, imo cogant. Multi propriis sceleribus perirent, qui alienis precibus servantur. Ita S. Augustinus matri oranti & lachrymanti salutem suam acceptam retulit. Nam cum Deus promiserit exauditionem orationi ritè susceptæ, obstringitur quodammodo ad faciendum, quod petitur, pro quocunque petatur. Hanc enim provisionem non ad solam orantis personam, sed & eos quoque, pro quibus oramus, extendi tenet Suar. t. 2, de relig. l. 1, c. 27.

LIBER IV.

Perstringit novem Annos vitæ suæ, quibus ab anno XIX, usque ad XXVIII, Rhetoricam docuit concubinæ amoribus implicitus, & Astrologiæ genethliacæ deditus. Deplorat deinde immoderatum dolorem, ex amici morte conceptum, ac optimi ingenii prævium usum.

C A P. I.

Novem annorum spatio seducebat & seducebatur, per superbiam & heresin.

I. **P**er idem tempus annorum novem, ab undevicesimo anno ætatis meæ, usque ad duodetricesimum, seducebatur & seducebamur: falsi atque fallentes in variis cupiditatibus, & palam per doctrinas, quas